



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Christotelia, hoc est auri tributo. Caput XLII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**



à suis militibus crudeliter cæsus? Quid Aurelius Antoninus ex Emessa, an non vnà cum matre interemptus? Quid post illum Alexander, an non vnà cum matre eandem peregit fabulam? Quid loquar de Maximino, qui à suo ipsius exercitu mactatus fuit? Aut de Gordiano, qui Philippi insidijs & dolo, à suis iisdem militibus cõfectus, extremum suum diem obiit? Dicit tu, quæso, Zosime, quid Philippo, & post illum Decio obtigent: an non ab hostibus perempti? Adde his Gallum, & Volusianum: an non à suis ipsorum copijs è vita extrusit? Quid Aemilianus, an non in eandem cladem incidit? Quid Valerianus? an non in bello captus à Persis, & ab eisdem in triumpho circumductus? Quid? an non Galieno per dolum occiso, & Carino obtrencato, rerum summa ad Diocletianum redijt: quos Diocletianus, ne simul cum ipso regnarent, è medio sustulit. Post quos Herculius Maximianus, & Maxentius huius filius, & Licinius etiam cum summa turpitudine & ignominia perierunt. At verò ex eo tempore, quo illusterrimus Constantinus imperare cœpit, & urbem extructam, suoque ipsius nuncupatam nomine, Deo dedicavit, circumspice iuxta mecum, quæso, num quispiam in ea urbe imperator, Iuliano eiusdem tecum religionis ritibus iniuncto, tuoque imperatore excepto, vel à suis, vel ab aduersarijs interiit, vel omnino tyrannus quisquam imperatorem debellauit, præter Basiliscum solum, qui quamquam Zenonem expulit imperio, ab eodem tamen profigatus, vitam edidit? Quòd autem ad Valentem attinet, qui Christianos tot affecit incommodis, facile tibi dicenti assentior: de alio enim nulla abs te facta est mentio. Ista quidem nemo putet ab historia ecclesiastica aliena esse, sed cum ad legendum perutilia, tum instituto propterea consentanea, quòd Gẽtiles historici propter maleuolentiam rerum gestarum veritatem deprauare conruderint. Verùm iam ad reliquas res ab Anastasio gestas pergamus.

*De Chrisotelia, hoc est auri tributo.*

*Caput XLII.*

Quem-

*Vide Cus.  
in vita  
Cari.*



Quemadmodum ea, quæ supra commemorauimus, ab Anastasio egregiè & vt imperatoris postulat maiestas, facta sunt, sic alia ab eò gesta, quæ istorum dignitatè non parum videntur obscurare. Nam & tributum, quod Chrysoteliæ, id est, aureum tributum vocant, excogitauit, & stipendia militaria vnà cum exactiõibus non sine grauissimo reip. detrimento diuendit. Sustulit autem consuetam vectigalium exactiõem è curijs, & eos, qui vindices appellantur, in singulis ciuitatibus constituit, impulsione, vt ferunt, Marini Syri, qui summum magistratum, quem præfectum aulæ nuncupant, administrauit. Vnde factum est, vt magna pars vectigalium perierit, & ciuitatum decus labefactum conciderit. Nam ante illud tempus patriciorum nomina in albo cuiusque ciuitatis inscribebantur: quippe vnaquæque ciuitas eos, qui in curias erant relati, pro senatu quodam habuit numerauitque.

*De Vitaliani tyrannide. Cap. XLIII.*

Contra Anastasium porrò Vitalianus, genere Thrax, tyrannidem occupare studuit. Hic Thracia & Media ad Odyssum & Auchialum vsque vastata Constanti nopolim cum multitudine ex gentibus, quæ incertis sedibus vagari, & habitare sub dio cõsueuerant, collecta proficisci maturat: cui obuiam iturum Hypatium misit imperator. At posteaquam Hypatius proditus à suis, viuis captus fuit, ingenti que pecuniæ summa redemptus, Cyrillus belli expeditionem capessit: ac primum prælio ancipiti pugnatur: deinde non pauci vertuntur in fugam: deinceps cum Cyrillus tum hostes persequendo, tum suos reducendo, superiores partes haberet, Vitalianus in Cyrillum conuersus, eum, militibus præ maleuolentia cedentibus, in Odyso capit. Postremo ad Sycas vsque excursus facit: omnia ferro & igni vastat: nihil aliud cogitatione complectens, quam Cõstantinopolim excidere, & potiri imperio. Castris igitur in Sycis locatis, Marinus Syrus, de quo antè mentionem fecimus, cum classe ab imperatore mittitur, contra eum depugnaturus. Itaque exercitus vterque propius inter se accedit, atque puppes nauium alterius Sycas, alterius Constantinopolim versus spectabant. Ac primum se ali-